



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

Cap. IV. Matrimonium infidelium, an sit Sacramentum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

nium, ut solum contractum, & non, ut Sacramentum: elto Suar. Sanch. Coninch. quos citat, sequiturque Averf. l. 7. V. *Constat tamen*, quibus addatur Castrop. d. 2. de spons. p. 2. num. 5. alique negent, contententes Christum Dominum conjunxisse rationem Sacramenti ipsi contractui ita, ut, quamvis positio contractus dependeat à voluntate Fidelium, eo tamen positio, non dependeat ab ipsorum voluntate ratio Sacramenti, sed eo ipso, quod ejusmodi contractus legitime ponitur, statim ex Christi institutione illi adheret ratio Sacramenti. Verum id asserere, esset divinare, ut jam modò dictum est.

CAPVT II.

Minister Sacramenti Matrimonij.

1. **C**erta jam, & vera sententia nunc est, ipsos conjuges esse hujus Sacramenti Ministros, petinde, ac necesse sunt suscipientes. Ratio est, quia Christus Dominus instituit hoc Sacramentum juxta naturam ipsius contractus; at Ministri, seu ij, qui contractum efficiunt, sunt idem, qui contrahunt, quique in se obligationem suscipiunt, ergo, &c. Lege Bellarm. lib. 1. de matrim. cap. 6. & sequentibus. ubi contrariam opinionem appellat temerariam.

2. Hinc fit, ut verba Parochi, quibus dicit, se conjungere Sponsos, non sint de essentia Matrimonij; ipse enim, solum est assistens Matrimonio, non illud confertens: nam propterea, si assistat in statu peccati mortalis, non peccat assistendo, quia is, nec Sacramentum ministrat, nec suscipit.

3. Sed quid, si ipsi conjuges sint in dicto peccati mortali statu, quando contrahunt?

Respondeo. Quod peccent ex eo, quod in malo statu hoc Sacramentum suscipiant, certum est, quia omnia Sacramenta vivorum requirunt, suscipientem esse in statu gratiae, ut scilicet illam augeant, quemadmodum explicat fuse Theologi; sed dubium est, an item peccent ex eo, quod indigne ministrent.

4. Dico, esse duas oppositas sententias. Navar. apud Sanch. lib. 2. de matr. disp. 6. n. 3. putat, peccare mortaliter, etiam ut Ministros, quippe qui conferat sibi hoc Sacramentum ex officio, & ad hoc deputati. Sanchez, ibid. num. 4. citans Suar, aliosque verò, alique censent, ut sic, non peccare mortaliter; quia, licet conjuges sint ad hoc deputati, non tamen sunt consecrati ad hoc Sacramentum administrandum, pro quo non fuit necessaria Consecratio: Quod autem Consecratio sit necessaria ut Minister Sacramenti peccet, sup. l. 1. de Sac. in genere, cap. 2. n. 4. diximus. Hanc posteriorem sententiam, ego ibidem amplexus sum, & iterum amplector, licet cum eodem Suar. & Sanch. fatear, opinionem Navar. esse probabilem.

CAPVT III.

Matrimonium inter absentes, an sit Sacramentum?

1. **E**sse Sacramentum, omnino tenendum est cum multis, quos citat, sequiturque Castropalaus de spons. d. 2. p. 2. num. 9. quidquid dicat Durandus, alique pauci apud Sanchez loc. cit. d. 11. num. 26. quorum rationes levissimas vocat ibidem Castropalaus, & easdem solvit. Ratio nostra potissima, cujus vi omnia ferè contraria argumenta dissolvuntur, est, quia Christus Dominus instituit hoc Sacramentum, elevando rationem contractus naturalis, quæ est in Matrimonio, ad rationem Sacramenti; at ratio contractus naturalis, æquæ est, si fiat per ipsos principales praesentes, ac, si fiat per Procuratorem inter absentes, ut nemo negat, ergo, &c.

Addé ex Concilio Trid. sess. 24. cap. 21. haberi, Matrimonium Fidelium esse Sacramentum; At Matrimonium per Procuratorem, sive etiam per Epistolam, non aequivoce, nec proportionaliter, sed univocè Matrimonium est, quis enim vquam inter Catholicos fuit, qui auderet dicere, duo genera Matrimoniorum esse in Ecclesia Dei, unde inferre posset, alterum esse Sacramentum, alterum non item?

2. Materia ergo, & forma in Matrimonio per Procuratorem, est item traditio, & acceptatio corporum facta à principalibus contrahentibus; quatenus exprimitur per verba, vel per signa à Procuratoribus exhibita.

3. Hinc meritò Procuratorem non obligamus ad statum gratiae, quando suum hoc manus exercet, obligamus autem ipsos principales ut recipientes Sacramentum debere esse in gratia, quando verosimiliter putant, Procuratorem nomine ipsorum contrahere. Quo tempore, etiam si dormirent, reciperent gratiae augmentum, sicut tunc reciperent Sacramentum Matrimonij; quemadmodum occurrat, quando quis vigilans, vel sanus petiit Baptismum, & deinde cum dormit, vel phreneticus est, baptizatur; nam tunc, & Sacramentum recipit, & gratiam. Dixi (ut recipientes) ut ministrantes enim non habere hanc obligationem, dictum est modò cap. 2.

CAPVT IV.

Matrimonium Infidelium, an sit Sacramentum? Remissivè.

Cum hoc ad praxim non pertineat, habeat id Lector à Doctoribus citatis, ac citandis, Sanch. Pontius, Averfa, G. Hurtado, aliisque.

CAPVT V.

De Indissolubilitate Matrimonij.

1. **V**t ea omnia, quæ ad indissolubilitatem spectant, cognoscantur, agam Primò de indissolubilitate Matrimonij infidelium, sive ante, sive post susceptionem Baptismi. Secundò, de eadem, quæ inest in Matrimonio rato Fidelium. Tertiò, de eadem, quæ in contumacato eorundem.

§. I. An Matrimonium Infidelium ante conversionem initium sit indissolubile?

1. **M**atrimonium Infidelium, sive sit consummatum, sive sit Ratum dumtaxat, id est nondum consummatum (sic loquamur claritatis gratiâ), nam ceterum Matrimonium Ratum propriè est Matrimonium contractum per verba de praesenti inter Fideles, quod nondum sit consummatum, ut supra diximus tract. 4. de Consensu, cap. 1. §. 2. n. 1. Matrimonium, inquam, dictum Infidelium est ex natura sua indissolubile. Ita Pontius, Vasq. Reb. Bellarm. quos citat, sequiturque G. Hurt. d. 8. matr. disp. 1. quibus addé Castrop. d. 3. de spons. p. 2. §. 1. n. 6. & Leand. de matr. d. 7. 2. alique contra Sanch. & Coninch. apud eundem Hurt. aliosque.

2. Ratio à posteriori ducitur ex illis verbis Genesis 2. *Quamobrem relinquet homo Patrem, & Matrem & adheret uxori suæ* ecce Matrimonium ratum, & erunt duo in carne una, ecce consummatum cum enim Deus dicat, relinquet, adhærebit, erunt, notat ejusmodi esse naturam matrimonij, non vero ipsum Deum, sic positivè velle constituere.

3. Ratio verò à priori præcipua est (nam alias vide apud Hurtadum, & citatos) quia certum est illicitum esse concubium vagum, & communicationem vxorum